

Stoche  
flecke!



1. Alberti, Valent. / Diff. de abso-  
luta Electione contra Calvi-  
nianos, Lipsia 1688.
2. ——— / Diff. de Efficacia Baptismi,  
Lipsia 1692.
3. Bagger, Joh. / Diff. de Meritis  
Adami in Statu integro,  
Hannov 1688.
4. Bentsen, Pauli / Diff. de Usu  
ARPA QRM. imprimis Terminorum  
in Theologia, Hannov 1747.
5. Calvini, Abrah. / Diff. Exegesis Capituli  
IX ad Romanos, Witteberge 1673.

6. — Diff. de Libro Vitae,  
Wittenbergae, 1678.
7. Cellary /: Balth. / Diff. de Unione  
personali duarum Naturarum in  
Christo, Helmstady 1651.
8. Fechtly /: Joh. / Diff. de federe Dei  
cum Homine in Baptismo per  
Renunciationem Diabolo factam  
inito, Rostocky 1707.
9. — Diff. de Necessitate Baptismi,  
Rostocky 1714.
10. Hannekeny /: phil. Ludov. /  
Catecheris de morali Sabbatico  
Christianorum, Coburgi, 1705.
11. Hildebrand /: Joach. / Diff. de  
extremo Judicio, Helmstady  
1657. Diff. de Heresi, Helm-  
stady 1657.
12. — Diff. de Heresi, Helm-  
stady 1657.
13. Koenigsmann /: Andr. Ludov. /  
Diff. de parabolis Christi pro-  
pheticis. Kiloxi, 1708

14. Korthold / Chr. / Christus  
 ΟΕΑΝΟΡΕΠΙΟΙ. Kiloni 1629.
15. ——— Diff. de peccato in  
 Genere, Kiloni, 1671.
16. ——— Diff. de Jesu Christo  
 Domino ac Deo nostro unica  
 Via, Veritate et Vita, Kiloni,
17. Lintrop / Severin / De CAPIO,  
 maxima paulina 1 Cor. 11. v. 32.  
 Hafniae 1695.
18. Maurity / Carp. / Diff. de justifi-  
 catione Hominis coram Iudicio  
 Divino, Rostochij 1651.
19. Meisner / Joh. / Diff. de justifi-  
 catione, Wittebergae 1670.
20. Mayer / Joh. Frid. / Diff. de  
 Hymno, Trfalt und Jow bij  
 Dinom alovff. Kiloni 1701.
21. Noldius / Chr. / Diff. qua Vir Religio-  
 nis Lutheranae ad cavendum Despe-  
 rationem ac Securitatem Demon-  
 stratur. Hafniae, 1733.

22. Schmucler Vinc. / Quæstio de  
 præceptorum Decalogi, juxta Distribu-  
 tione, et de vera ejusdem Integritate  
 proposita. Lipsiæ, 1668.
23. Seliymann / Gottlob Frid. / Diff.  
 De ijs quo circa receptam de  
 Sabbatho Doctrinam a non-Remine  
 in Dubium vocata sunt. Lipsiæ  
 1703.
24. Siricy / Mich. / Diff. de Omnibus  
 peccati Causis. Giffæ, 1664.
25. Sontay / Christoph. / Diff. de  
 Conflagratione Nadab et Abihu  
 Sacerdotum, Altorfi 1692.
26. — Specimen parallelogra-  
 phicum in extantiora quoddam  
 Monaxææ Acromena novi Testamenti  
 Altorfi 1692.
27. Sueron / Cnevaldi: / Jubilæus  
 AntiChristi Romani, ipsius Exitium,  
 Abœ, 1675.

28. Wagner, Bernh. / Diss. de  
Resurrectione Mortuorum,  
Argentorati, 1713.
29. Wernsdorff / Gottlieb / <sup>in</sup> ~~Diss.~~ <sup>Dissert.</sup> ~~festina~~  
recentiores de Coena Domini  
Controversias Subiicit.  
Witteberge 1710.
30. Wolf / Franc. / Diss. represen-  
tans Dominum Deum nostrum  
trium, Rossachi 1682.

Q. D. B. V. 28  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
RESURRECTIONE MORTUORUM,

*Ad locum Jobi XIX. vers. 25. 26. 27.*

Quam  
Adjutore DEO Ter Optimo Maximo  
SUB PRÆSIDIO  
*VIRI Maxime Reverendi, Amplissimi*  
*atq. Excellentissimi DOMINI*  
BERNHARDI WAGNERI,  
SS. Theol. D. & P.P. Ordin. & Senioris Celeberrimi,  
Convent. Eccles. PRÆSIDIS Magnifici, Cap. Thom.  
Canonici Meritissimi,

*DN. Patroni, Fautoris, atque Præceptoris sui*  
*omni observantia, pietatis, & amoris cultu*  
*semper prosequendi.*

In Inclita Argentinensium Academia  
SOLENNI Eruditorum Examine exponit 62  
JOHANNES BÜTTNER, Argent.  
AUCTOR & RESPONDENS.

*Ad diem 26. Mensis Julij Anno M DCC XIII.*  
*horis locoque solitis.*

---


ARGENTORATI,  
Literis JOHANNIS PASTORII.

DEO,  
PATRIÆ,  
PATRONIS,  
PARENTIBUS

*ATQVE*

AMICIS.





LECTORI BENEVOLO  
Præses hujus Disputationis

S. P. P.

**N**IL homine Christiano, & im-  
primis Sacrosanctæ Theologiæ  
Studio, magis dignum est, quam  
pia & quotidiana futuræ Resur-  
rectionis meditatio; quippe à  
qua omnis nostra gloria, omnis no-  
stra felicitas dependet, & sine qua, in  
præsenti seculo, cum piis omnibus  
pessime ageretur, sicut Apostolus ipse in priori Epistola  
ad Corinthios Capite XV. v. 19. testatur, *Si, inquam,  
in hac solum vita speramus in Christum, omnium hominum  
miserrimi sumus.* Sed quia Divinis Sacrarum literarum  
testimoniis edocemur, in altera illa vita, iis omnibus, qui  
in fide JESU Christi vivunt & moriuntur, felicitatem con-  
stantem & gloriam æternam præparatam esse, merito læ-  
tantur & certa spe se jam beatos prædicant quotquot de  
futura Resurrectione pie cogitant. *Vita enim nostra, in-*  
A quit,

quit iterum Apostolus in Epist. ad Colos Cap. III. v. 3. 4. omnisq; nostra gloria & felicitas, *abscondita nunc est cum Christo in DEO. Quando vero Christus, manifestabitur, Vita illa nostra, tunc etiam nos cum Ipso manifestabimur in gloria.* Hinc graviter & pie quondam Tertullianus librum suum de Resurrectione Carnis hunc maxime in modum exorsus est: *Fiducia Christianorum, Resurrectio mortuorum.* Utique Christianorum propria est hæc fiducia, cum enim profani homines & spe Christiana destituti, morte urgente, cum metu & horrore hinc discedunt, *vitæ*, ut Poeta dolet, *cum gemitu fugit indignata sub umbras*; pii potius cum gaudio & fiducia iter hoc ingrediuntur, quod ipsos ad vitam illam, hac præsentis modis omnibus beatiorem, tandem perduciturum esse certissime norunt. Merito itaq; commendandus est Præcellens & Doctissimus Dominus Respondens noster, quippe qui egregium hoc de Mortuorum Resurrectione argumentum præsentis Dissertationi sibi tractandum sumpsit, atq; insignem illum Jobi locum, suo Marte suaq; industria, ita edisseruit, ut & pietatem & eruditionem suam, qua utraq; eundem egregie exornatum esse novimus, omnibus comprobaret. Nulli quoq; dubitamus, quin ea, quæ privata diligentia elaboravit, in publico etiam conflictu pari cum laude sit propugnaturus: de quo laudabili instituto, quemadmodum ex animo eidem gratulamur: ita DEum Ter Optimum Maximum toto pectore veneramus, ut suscepto huic negotio non modo prosperum largiatur successum, sed etiam præclaras animi dotes, quibus Dominum Respondentem nostrum liberalissime instruxit, porro quoque clementissime conservet, adaugeat, atque ita dirigat, ut tandem ad finem exoptatum, DEI, nempe, Gloriam, & Ecclesiæ ædificationem feliciter pertingant.

I. N. 7.



I. N. J.

## PROOEMIUM.



Consideratio status præsentis, commutandi cum futuro, non sine causâ terrorem animis mortalium incutit, siquidem mors, rerum omnium terribilium terribilissima, totalem naturæ destructionem non tantum minatur, sed etiam nullo negotio efficit; & hanc quidem Pios cum impiis communem habere, quotidiana, proh dolor! testatur Experientia, hæc tamen prærogativâ animi fidelium præ impiis gaudent, quod, licet in hæc ærumnarum valle variis agitentur miseriis, multisq; malis, hinc inde ipsi affluentibus, vexentur, tamen sciant, calamitatem non fore perpetuam, spemque fidemque suam in Christi Resurrectione collocent, ex quâ de suâ Resurrectione, firmum imo firmissimum eliciunt solatium. Suo Job id Exemplo

comprobavit, qui miserrimo in statu, animo tentatus, corpore infirmus, ab Amicis illulus & desertus, imò in agone mortis versatus, ex Redemptoris tamen intuitu, spem firmam, fiduciamq; plenam concepit, animosè dicens: *scio quod Redemptor meus vivat, qui me excitabit è mortuis etc.* uti videre est Jobi Cap. 19. v. 25. 26. & 27. Non quidem desunt, qui hunc Jobi locum de Resurrectione Mortuorum agere negant, atq; tantum de melioratione temporalis fortis exponunt: sed cum communis Ecclesiæ nostræ doctrina eum de Resurrectione Mortuorum intelligit, ideoque & nos impræsentiarum eandem sequemur, dictum hoc classicum, Disputationis loco de Resurrectione Mortuorum exposituri, & pro Ingenii modulo ab Adversariorum detorsionibus vindicaturi. Facilioris autem Methodi gratiâ, totam Disputationem distribuemus in tres Classes, Prima genuinum loci sensum: Secunda Quæstiones nonnullas: Tertia Porismata quædam sistet. Interim si non omnia acu tetigerimus, veniam à B. L. nobis pollicemur. Numen autem Altissimum, à quò omnia in nos derivantur bona, supplices rogamus, ut inceptus hic labor cedat in Divini Nominis Gloriam, Proximique ædificationem.



*Textus Authenticus.*

- ⲛ. 25. ואני ידעתי גאלי חי ואחרון על-עפר יקום:  
 ⲛ. 26. ואחר עורי נקפו זמתי ומבשרי אחזה אלוד:  
 ⲛ. 27. אשר אני אחודלי ועיני ראו ולאחר:

*Versio Græca LXX. Interpretum.*

- ⲛ. 25. Οἶδα γὰρ, ὅτι ἀννάσσει ὁ ἐκλύειν με μίλλον, ὅτι  
 γῆς  
 ⲛ. 26. Ἀναστῆσαι δέμα μὲν, τὸ ἀναντῶν ταῦτα. Παρὰ γὰρ  
 νεκῶν ταῦτά μοι συνετέλειδον.  
 ⲛ. 27. Ἄ ἐγὼ ἐμῆς σωματικῆς ἀὐτοῦ ὀφθαλμοῦ με ἰάσαν,  
 καὶ οὐ ἄλλου.

*Versio Latina Vulgati Interpretis.*

- ⲛ. 25. Scio enim, quod Redemptor meus vivit, & in  
 novissimo die de terrâ surrecturus sum.  
 ⲛ. 26. Et rursus circumdabor pelle meâ, & in carne  
 meâ videbo DEum meum.  
 ⲛ. 27. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei con-  
 specturi sunt, & non alius.

*Versio Junij & Tremellij.*

- ⲛ. 25. Equidem ego novi Redemptorem meum vive-  
 re; & posteriorem super pulverem resurrecturum.  
 ⲛ. 26. Et postquam (*vermes*) confoderint istud, evigi-  
 lante me: tum carne meâ me visurum esse DEum.  
 ⲛ. 27. Idem qui sum, ac non alienus visurus sum mi-  
 hi, & oculi mei aspecturi.

*Versio B. D. Sebast. Schmidij.*

- ŷ. 25. Etiam ego novi Redemptorem meum, (*quod*) vivat; & postremum, (*quod*) super pulverem surget.  
ŷ. 26. Et post cutem meam, (*h. e. posteaquam cutis mea esse desierit*) circumdabuntur hæc, (*caro mea & ossa mea eadem cute meâ:*) & ex carne meâ videbo DEum.  
ŷ. 27. Quem ego videbo mihi, & oculi mei videbunt, & non alius.

*Versio B. Lutheri.*

- ŷ. 25. Aber ich weiß/ daß mein Erlöser lebet/ und er wird mich hernach auß der Erden auferwecken.  
ŷ. 26. Und werde darnach mit dieser meiner Haut umgeben werden/ und werde in meinem Fleisch & Dit sehen.  
ŷ. 27. Denselben werde ich mir sehen/ und meine Augen werden ihn schauen/ und kein Fremder.

§. II.

Ad verum indagandum S. Scriptoris sensum, brevem quandam cum antecedentibus connexionem præmittere, necessarium duxi, est autem Connexio hæc.

Amici Jobi, Bildad & Zophar, Jobum impietatis, atque gravium in DEum commissorum scelerum arguebant, quibus non modo temporalem ejus interitum confirmarunt, sed etiam omnem Resurrectionis spem ipsi ademerunt. Erat enim apud multos Judæos recepta sententia, resurrecturos esse tantum Pios, impios vero non amplius redituros esse in vitam; hujus opinionis cum & Amici Jobi fuissent, ipsi hoc etiam objecerunt, eum prorsus extinctum iri, nullam vitæ spem amplius superesse, ejus memoriam prorsus esse intermorituram. Huic objectioni ergo Jobus occurrit, contrariam opponens sententiam, hoc modo, licet in oculis vestris sim impius, licet credatis, me post mortem non amplius in vitam esse revocandum, sciatis tamen, quod spes mea firma recumbat in Redemptore meo, qui etiam me excitabit è mortuis, non ergo prorsus extinguetur lux mea, nam iterum

iterum pelle meâ circumdabor , atque in carne meâ videbo  
DEUM.

§. III.

Expeditâ sic Connexione, pergimus ad ipsam Analy-  
sin, textus autem ipse, poterit quoad sensum dispecsi in qua-  
tuor partes, quarum 1. *Resurrectionis certitudinem*, 2. *Re-  
surrectionis fundamentum*, 3. *Resurrectionem ipsam*, 4. *Re-  
surrectionis consequens* continebit. Primum ergo mem-  
brum quod concernit, consistit illud in *Resurrectionis Certi-  
tudine*, patet autem illa ex istis primis vocabulis ואני ידעתי  
Et ego novi, prima litera est י. quæ varie ab Interpretibus  
explicatur, quidam enim illam vertunt causaliter, uti Vul-  
gatus, Scio enim; & LXX. Interpretes, אדם אד, quidam co-  
pulative, quasi Job consensum in fide cum reliquis fide-  
libus vellet manifestare. D. Seb. Schmid, illud nihil aliud  
facere, quam sensum inchoare, asserit: D. Lutherus adver-  
sativè illud exposuit, sed ego novi, aber ich weiß / ac si Jo-  
bus respexerit ad varias suas calamitates & afflictiones, in-  
quiens: irâ Dei in me quidem est gravis, amici & propria  
Uxor quidem me deserunt, sed scio, Golem meum vi-  
vere &c.

§. IV.

Verbum quod sequitur in Textu Originali, legitur  
ידעתי, novi, est prima persona præteriti, à rad. ידע, scivit,  
novit, percepit, animadvertit, expertus est, denotat non sim-  
plicem, sed plenam, certam, indubitamque rei scientiam,  
h. e. cordis fiduciam & πληροφορίαν affectus serij à Spiritu san-  
cto excitati, uti Sydus atque Decus Philologorum Glassius  
Lib. V. Tr. I. Cap. I. edit. novissimâ p. 1439. illud exposuit,  
cum itaque verba apud Hebræos non solum scientiam, sed  
etiam affectus includant, sensus atque mens Jobi talis erit,  
nullus hareo, nullaque mentis mihi fluctuatio est, sed scio, &  
firmâ fiduciâ credo ex Divinis promissionibus, infallibiliter  
fore, quicquid jam in medium sum allaturus.

§. V.

Hinc falsa est Bellarmini sententia, asserentis: fidem  
definiendam potius esse per ignorantiam, quam per notitiam,  
illius

illius enim verba hæc sunt, *Mysteria fidei, quæ rationem superant credimus non intelligimus. ac per hoc fides distinguitur contra scientiam, & melius per ignorantiam, quam per notitiam definitur.* l. 1. de Justif. c. 7. contradicit enim Jobo nostro, qui exactissime novit, qui sublimem & omni ratione superiorem Articulum, de Resurrectione Mortuorum, se plenissime scire profitetur, adeoque fidem suam, per scientiam indubitata, exclusâ dubitatione omni describit. Falsum est ergo illud Bellarmini assertum, fidem scientiæ contradistingui: adde quod fidei proprietas notitiam involvat, est enim assensus, rei autem plane ignotæ, accurate loquendo, non dicimur assentiri. Concedimus quidem Bellarmino, fidem non esse scientiam in illo stricto sensu, quo denotat scientiam à priori, ita ut Mysteriorum fidei essentias, causas, & modos cognoscas; attamen est scientia in generali sensu accepta, & à posteriori; proinde incongruè argumentatur à negatâ scientia in specie ad negatam quoque scientiam in genere, fides itaque non est ignorantia.

§. VI.

Consideratâ nunc primâ parte nostri textus, secunda Analyfi submittenda venit, quæ agit de *Resurrectionis fundamento*, quod est Christus redivivus, à Jobo vocatur **רִדְּוֹן**, *Redemptor meus*, est autem participium à Rad. **רָדַן**, *redemit, vindicavit*, hinc **רִדְּוֹן**, *redimens, redemptor*, qui notante Opitio in Lexico, p. 170. jus habet Fratris vel Cognati res venditas redimere, Lev. XXV. 25. Imo qui tenebatur eundem captivum liberare; Interfectum vindicare, & ulcisci, & Defuncti Uxorem ducere, Ruth. III. 9. Denotat ergo **רִדְּוֹן**, non simplicem & qualemcunque Redemptorem, sed talem, qui sanguine & affinitate conjunctissimus est liberato. Hunc autem Redemptorem esse Filium Dei **Θεὸς υἱὸς πατρὸς** testatur Ps. 72. v. 14. Et hunc Redemptorem se esse Christus ipse quoque testatur, Hof. XIII. 14. inquit: *de manu inferni redimam eos, de morte liberabo seu vindicabo eos*; hic quoque pretium Redemptionis Deo persolvit, Matth. XX. 28. & prædam faucibus Diaboli eripuit. LXX. transtulerunt, **ὁ ἐκλυθέν με μὲν δὲ**, quod significanter dicitur, qui me liberabit, scilicet pre-



pretioso suo sanguine, à captivitate Diaboli: nam propter lapsum nostrorum Parentum, atque sic feloniam commissam, sub potestate Diaboli tenebamur captivi, Deus autem ex singulari gratiâ misit suum Filium, ut nostrâ particeps fieret carnis, atque ita jure propinquitatis nos per pretiosum suum sanguinem, è Satana potestate eriperet; per Redemptorem itaque nullum alium, quam Filium Dei intelligimus, quod infra pluribus demonstrabimus. Hiob itaque ex Vaticiniis V. T. illud satis superque sciens, fidem spemque suam unice in hoc Goële, Messia, collocavit, eundemque sibi applicavit, quod indicat Pronomen possessivum, *meus*, quod Pronomen applicationis, fidei & amoris nota est, quemadmodum & in reliquis admodum emphaticè dixit: *EGO scio, MEUS Redemptor, videbo de carne MEA*. Ut sit sensus, novi Redemptorem meum vivere, quem unicè & propenso amore diligo, quem & meum esse certissime scio & credo.

§. VII.

Huic suo Redemptori Job aliquod attribuit Epitheton, quod ipsum à suâ vitâ describit, quando illum appellat viventem, labio Spiritus sancti sonat  $\text{חַי}$ , radix est  $\text{חַי}$ , *vixit*, unde  $\text{חַי}$ , *vivus*, vel *vivens*. Apud Hebræos interdum idem est, quod sanum, non putridum, Levit. XIII.  $\text{ו}$ . 16. ac sic Jobus videtur respectum habere ad humanitatem Christi, quæ putredinem quoad corpus non vidit, notat itidem *integrum, incolumem esse*, I. Sam. XXV. 6. Hac voce vero quatuor potissimum indicantur à Jobo, I. *Christi Divinitas*. Est enim & dicitur *חַי אֱלֹהִים*, & in excellentiori gradu, vivens. Gen. XVI. 14. & cap. XXIV. 62. est vita ipsa. Joh. XI. 25. & cap. XIV. 6. *Secundo Christi aternitas*, unde LXX. vertunt *αἰώνως*, nam cum vita Dei sit à nullo, sic & nullo terminatur fine, vivit in secula seculorum. Apoc. IV. 9. *Tertio, virtus vivifica*, vivus enim est, non tantum formaliter, & à se ipso, sed etiam effectivè, qui vitam dat, conservat atque sustentat, Joh. VI. 50. seqq. & XIV. 19. *Quarto, Resurrectio*, quasi diceret, novi quidem, quod Christus post mortem ultimo tempore sit sepeliendus, sed tamen à sepul-

B

chro

thro non poterit teneri, sed vivus, sanus, incolumis, & integer resurget; hinc solamen enascitur Jobo, quod, quum Christus, ut Caput surrexerit, & vivat, ille ipse quoque resurrecturus sit, cum caput non possit esse sine membris, si igitur Caput resurrexit, membra quoque illius Capitis resurgent. Sensus itaque Jobi est, ego firmiter credo, Christum Jesum esse Redemptorem meum, immortalem, aeternum, & beneficum, verum & viventem Deum, qui novissimo quidem tempore secundum humanitatem morietur, ut interveniente *λυτρον* ac pretio pro nobis solvat, qui tamen à morte non tenebitur, sed vinculis ruptis gloriose resurget, & in aeternum vivet; & tantum de priori Hemistichio.

§. VIII.

In altero Hemistichio Jobus hunc in modum pergit, *וְאַחֲרָיו עַל-עֵפֶר יִקּוּם*, & *postremus*, sive, *postea*, *super pulverem stabis*: *אַחֲרָיו*, *postremus*, *novissimus*, est nomen masculinum, à rad. *אָחַר*, tardavit, moratus est, venit post, Arias Montanus reddidit, & *novissimo*, Vulgata, *in novissimo die*, quidam accipiunt nominaliter, ut idem denotet, ac *novissimus*. B. Lutherus transtulit adverbialiter, *hernach*; Hebraeis enim familiare est, ut nomina loco Adverbiorum ponantur, quod si autem prætendas, sensum nominalem hic invenire locum, posita hæc vox esse poterit pro *בְּאַחֲרָיו*, *in novissimo*, scil. die, sunt enim frequentes apud Hebræos istiusmodi Ellipses.

§. IX.

Sequitur in Analyfi *עַל-עֵפֶר*, *super pulverem*, vel *ex terrâ*, *עַל*, est Præpositio, à rad. *עָלָה*, *scandit*, *ascendit*. Multis hæc particula gaudet significationibus, vertitur enim, super, supra, juxta, adversus, apud, ad, in, & de. De cuius vocis amplissimâ significatione Lexicographos adeas; LXX. transtulerunt *ἐπι*, Vulgata de, Lutherus *auf*; Nomen autem *עֵפֶר*, est nomen masc. gen. significans idem, ac *pulvis, terrâ*. In S. Scripturâ autem per Nomen hoc sepulchra, & receptacula mortuorum denotari non raro evincunt post alia loca, locus Job. XVII. *ψ*. ult. Cap. XX. 11. Cap. XXI. 26. Esa. XXVI. 19. Sæpius etiam sumitur pro ipso homine, cum homo pulvis ac terra sit. Gen. III. 19. §. X.

Sequitur nunc ipsum verbum **וַיִּקָּם**, *surget*, est tertia futuri Kal, à rad. **קָם**, surgere. Quoad sensum Interpretes in diversas abeunt partes, quidam intransitive illud vertunt, pro *surget, stabit*, ita ut de Resurrectione Christi verbum sit accipiendum, ex qua Resurrectione Jobus & suam deinceps voluit deducere, non secus ac Paulus colligit, **I. Cor. XV. Si Christus resurrexit, & nos resurgemus.** Lutherus transitive reddidit, *excitabit, er wird auferwecken*. Abit quidem à voce Hebræa, sed Lutherus, scopum Jobi attendens perspicuitati studere voluit, ponens nimirum consequens atque Conclusionem, cujus medius terminus, atque Antecedens in Textu Hebræo habetur, potius igitur Interpres, quam Metaphrastes audit; accedit quod apud Prophetam Amos cap. VII. v. 2. & 5. transitive hæc vox usurpetur, *quis eriget, seu, suscitabit Jacobum, quia parvus est*. Sensus ergo erit, excitabit è sepulchro, subintellige Jobum, & omnes Fideles. Alii de Adventu ad Judicium Universale exponunt, hoc modo: novissimo die surget adversus pulverem; i. e. genus humanum, velut severus Judex, peccata vindicaturus: quam explicationem inde deducunt, quod particula **עַל** pro exigentiâ locorum multas admittat significationes, & per pulverem generatim intelligatur homo, per Metonymiam materia pro materiato. Alij **וַיִּקָּם** exponunt per propter, adimnuendum Christi adventus finem, ut resuscitet mortuos. Ut sensus sit, Christus ultimo & novissimo die resurget propter pulverem, i. e. propter mortuos, ut nempe illos in vitam reducat: quas duas posteriores expositiones nos suis Authoribus relinquimus.

§. XI.

Tertia pars *Resurrectionem ipsam* continet, in istis verbis; **וַיִּקָּם עוֹרֵי נַקְפּוֹ זְמַרְתִּי**, quæ verba vers. 26. habentur: postquam enim ejus fundamentum Jobus in verbis precedentibus innuerat, nunc eam ipsam clarius expressam voluit: verba autem quoad sensum videntur admodum obseura, unde tam variæ Interpretationes fluunt. Sed primo ipsas voces considerabimus, deinde sensum. **וַיִּקָּם**, & *post-*  
*quam*

quam est adverbium temporis, Vulgata, *rursum*, Lutherus *Darnach* potest etiam verti per *post*, ut sit prepositio. עורר, *pellis*, vel, *cutis mea*, à nuditate sic dicta, est nomen cum affixo, à rad. ערה, nudavit, nonnulli derivant ab ערר, excitatus est, evigilavit, censentque esse Infinitivum cum suffixo jod, vertuntque: *post evigilare meum*: i. e. postquam evigilavero. נקפו à nonnullis vertitur, *excidentur*, est 3. plur. præ. in Niphal, à rad. נקפ, excidit, concidit, excusfit: ab aliis vero, qui à radice יקפ deducunt, vertitur, circumdabuntur. ונת, hæc, est pron. fœm. gen.

§. XII.

Solliciti nunc sumus de sensu extrahendo. Multi Interpretum Enallagen Numeri admittunt in voce נקפו, & pronomen ונת neutraliter exponunt, Ebræos enim rem indiscreti generis notaturos fœminam terminationem adhibere probant, ex Ps. XXVII. 4. unum petii à Domino, & Psalm. CXVIII. 23. à Domino factum est hoc, ubi similiter est fœmininum, & intelligitur neutrum: sensus ergo à nonnullis hic esse dicitur: scio Redemptorem meum vivere, qui me in novissimo die fuscitaturus est, & postquam evigilavero, seu, ex terræ pulvere excitatus fuero, hoc omne quod in mundo est, & quod videtis, excindetur, peribitque, ego autem superstes in carne meâ videbo Deum; ita ut Jobus non tantum sui corporis Resurrectionem, sed etiam mundi consummationem indicare voluerit. B. Lutherus vocem נקפו deduxit à rad. יקפ, *cinxit, circumdedit*, in Niphal נקפ, *circumdatum*, seu *cinctus est*: ut sensus sit, & postquam circumdabuntur hæc, subintellige ossa mea, Præterito Hebræo pro futuro posito. Cui sententiæ etiam adstipulatur Seb. Schmidius in Comment. super hunc locum. Vertit enim, *Et post cutem meam circumdabuntur hæc*, i. e. postquam cutis mea esse desierit, circumdabuntur hæc, cum gestu digitum intendens in corpus suum; hæc caro mea, & ossa mea, totumque adeo corpus cum membris suis. Aliis arridet derivatio à נקפ, in Pihel, perforavit, transfixit, hoc sensu: postquam perfoderint (subaudi particip. perfodientes scilicet vermes) pellem hanc meam, tunc videbo Deum. Zanchius

ver-

verbum יקום, quod in præcedenti reperitur versu, hic iterum repetit, postquam caro hæc mea vermibus erit corrosa, tunc iterum (jam subintelligit verbum יקום) resurget, nempe sicut & Redemptor, & vivet, sicut & ille, & argumentatur sic à causâ ad effectum, à capite ad membra. Hæc vero Expositiones suis Auctoribus probabiles visæ, & variæ, in eo tamen conspirant, ut testentur Jobum de Resurrectione Corporum loqui: existimamus autem B. Lutheri & B. Schmidij sententiam cæteris esse præferendam.

§. XIII.

Restat ut de quartâ parte nostræ divisionis aliquid dicamus, nempe de *Resurrectionis consequente*, quod est beatifica Dei Visio, quâ Deum Redemptorem Job oculis suis corporeis sit conspecturus. Verba Textus sic habent. וּמִבְּשָׂרִי אֲחַדְדֶּה אֱלֹהִים, & de carne mea videbo Deum, Lutherus, und werde in meinem Fleisch Gott sehen. Præfixum מ plurimas admittit significationes, significat enim, à, ab, de, ex, præ, cum, in. בָּשָׂר, significat caro. אֲחַדְדֶּה, videbo est I. perf. fut. in Kal. Radix est חָדַד, vidit, prævidit, contemplatus est, intuitus est, LXX. ab Originali textu deflectunt, quando transferunt per σμερτίς α. π. α. γ, quod verbum nativâ suâ significatione conscium esse significat. Indigitat autem hæc vox חָדַד quamcunque visionem, sensualem, mentalem, voluptariam quoque ac suavem; sæpe etiam Prophetam denotat visionem, unde Prophetæ in V. T. vocantur חֹדְדִים, videntes. Mens itaque Jobi est, ego Deum ipsiusque essentiam, sicuti est, non tantum mente, & intellectu meo percipiam, sed corporis quoque oculis videbo, & quidem maximâ cum voluptate illud mihi continget.

§. XIV.

Objectum hujus visionis Majestaticum est, Deus ipse. Job expressit per אֱלֹהִים, denotat autem hoc nomen summum Deum, qui est infinitæ Majestatis, si Radicem investigemus, quibusdam placet illud derivare ab אָרַב, juravit, execratus est, quia per solum Nomen Dei jurandum, quibusdam autem derivatio ab אַר, Deus fortis, arridet. Nos cum Glassio lib. 3. tr. I. Can. 25. pro primitivo habemus.

Erpenius ex Arabismo hanc vocem mutuatur, à radice significante, *veneratus est, adoravit*; quia veneratio soli Deo, nec ulli alii competit. Denotat quidem hæc vox אלהו Deum Trinunum, hoc tamen loco specialiter & imprimis Dei Filius, Messias, intelligendus esse videtur; quem enim antea, אלהי, *Redemptorem meum*, vocaverat Hiobus, nunc אלהו *Deum*, vocat, docetque se post beatam corporis Resurrectionem in alterâ illâ vitâ, Deum ac Redemptorem suum esse visurum.

§. XV.

Pergit sanctissimus Hiob v. 26. atque ut visionis suæ certitudinem majorem indicet, reduplicat suam visionem, & dicit אלהי אשר אני אראה-לי quem ego videbo mihi, quibus verbis, conspectum Dei cum animi lætitiâ & exultatione conjunctum innuit, esse enim dativum gaudii, constantiæ & certitudinis notam, ingentisque in præsentibus ærumnis solatii, luculenter apparet, quasi lætabundus diceret: cum Deo, tanquam cum Parente & Fratre suavissimo, conversabor familiarissime, ipsius colloquio fruar, amoreque & benedictione æternâ suaviter refocillabor. Quam Gratiâ, lætitiâque immensam sanctus Johannes quoque commendat in I. Ep. Cap. III. v. 1. 2. *Videte, inquit, quantam dilectionem dederit nobis Pater, ut Filii Dei vocemur: propterea mundus non cognoscit nos, quia non cognoscit ipsum. Dilecti, jam Filii Dei sumus, sed nondum manifestatum est, quid futuri simus. Scimus tamen, quod, si manifestabitur, similes ipsi futuri simus, quia videbimus Ipsum, sicuti est.*

§. XVI.

Job magnitudinem affectus, gaudii, & spei ulterius indicaturus, sic concludit: ועיני ראי, & oculi mei videbunt, עין oculum significat. ראו est 3. perf. præter. Kal, Radix est ראה *vidit, aspexit, percepit*. Per Enallagen temporis perfectum positum est pro futuro, quæ Enallage temporis in S. Literis usitatissima est, siquidem Deo & Fidei etiam futura sunt præsentia & præterita; Hiob ergo innuit, se quasi in corde suo per Illuminationem Spiritus sancti illam visionem prælibasse. Denotat itaque hæc visio non nudum tantum aspe-

aspectum, sed simul rei conspectæ plenariam fruitionem & usum includit.

§. XVII.

Tandem lucidissimum omnium patientiæ jubar fidem suam obsignat, quando dicit, *non alienum visurum esse Deum*, verba Hebræa ultima sic sonant; וְלֹא־זָר, & non peregrinus, לֹא, non, est Adverbium negandi, זָר *alienum* significat, externum, extraneum, qui ad nos non pertinet, & aliena est familia & gentis. In S. Literis sapissime accipitur pro Hypocrita, qui alienus est à fide & spe, pro impio & perverso, Prov. XXI. 8. Sic Jerem. II. 25. Idola, quæ Israëlita colebant, זָרִים vocantur, eodem modo Hiob amicos suos, inimicos sibi factos זָרִים vocat, cap. XIX. 3. ideoque excludit pius Hiob eos à beatificâ Dei visione, qui aut extra Ecclesiam sunt, aut in Ecclesiæ gremio à verâ pietate alieni vivunt; denegat autem illis tantum beneficam & salutarem Dei visionem, nam etiam Impii videbunt Deum, sed non sibi, sed adversus se, qui scelera ab ipsis commissa severè puniet.

§. XVIII.

Præphrasîs brevis ea quæ hæctenus à nobis dicta sunt in unum colliget, hoc modo: Etiam si vos, Amici mei, admodum sinistre de me judicetis: me pro homine plane impio declaretis, & de Resurrectione mea dubitetis, nullo penitus solatio mihi relicto: ego tamen certissime scio & firmâ fiduciâ credo, quod Christus *θεὸς ἐκ θεῶν*, consanguineus & Redemptor meus, quem unice & propenso amore diligo, venturus, è mortuis resurrecturus, tandem ad judicium extremum rediturus, & me atque omnes fideles, ex pulvere resuscitatus sit. Hinc postquam vermibus corrosa fuerit hæc mea pellis, eadem iterum, attamen glorificatâ, circumdabor, atque in eadem hac meâ carne Deum ipsiusque Essentiam, non tantum mente & intellectu meo percipiam, sed corporis quoque oculis summâ cum animi lætitiâ & exultatione videbo, cum eo tanquam cum Patre & Fratre familiarissimè conversabor, ipsius colloquio fruar, & amore & benedictione ejus æternâ, suavissimè recreabor. His meis oculis clarificatis videbo illum, ego ipse nec alienus. Et tantum de his, quæ Analysin spectant.

QVÆ-

## QVÆSTIONES.

## I.

POSTquam nunc Analyfi finem imposuimus, tres quæ circa hunc locum ventilari possunt, Quæstiones, in medium proponemus, quarum prima hæc sit: *An hic Jobi locus de Resurrectione Mortuorum agat, an vero de restitutione pristina felicitatis temporalis?* Ecclesia quidem communi fere consensu, de Resurrectione Corporum, atque gloria sempiternâ in cælis exponit, reperiuntur tamen qui hoc assertum in dubium vocare audent, contententes, Jobum verba facere, non de Resurrectione corporum demortuorum, sed de restitutione in meliorem statum, non de subsecuturâ in cælis lætitiâ, sed de restitutione felicitatis temporalis. Inter hos igitur qui contrariam defendunt sententiam, reperiuntur Judæi, & plurimi ex Rabbiniis, quos sequuntur Joh. Mercerus, Hugo Grotius, Enjedinus, alique. *Sed hoc illi dixerint: qui omni ratione conantur de Christo evertere Prophetias, & ad perversam intelligentiam, præva interpretatione torquere:* quod quemadmodum graviter Hieronymus ad cap. 50. Esai. annotat, ita idem nos impræsentiarum loco nostro applicamus: locum ergo hunc Jobæum, de futurâ resurrectione corporum post mortem, ac perenni in cælis gloria exponimus. Pro defendendâ autem hac nostrâ sententiâ, rationes afferimus, è textu desumptas, quarum *prima est* plena scientia, sic enim incepit, *ego novi*, verbum quod habetur in textu Originali, certam & indubitam scientiam denotat, ut in Analyfi demonstravimus: habuit vero hanc scientiam certam de futura resurrectione, de restitutione autem temporali potius desperavit, vid. Cap. VII. 7. Cap. X. 20. Cap. XVI. 22. & inprimis hoc ipso Cap. 10. 7. ubi admodum significanter dicit: destruxit me undique, & pereo, & quasi evulsâ arbori abstulit spem meam: *Secunda ratio* petitur ex nomine Goël, quo verus iste Messias intelligitur, qui carnem nostram assumens factus est frater noster & consanguineus, ut jus ex potestate Diaboli nos redimendi ad ipsum pertineret; locus ergo de Deo, pristinam felicitatem temporalem restituente

non



non potest exponi, quod autem de Christo resurgente, homineque resuscitante ibi sermo sit, in subsequenti Quæstione probatum dabimus. *Tertiam rationem* nobis suppeditat vox מְרִיבָה, postremo, in novissimo die, post multa annorum intervalla, jam autem restitutio felicitatis temporalis non post magnam annorum seriem, sed paulo post ei obtigit. *Quarto* nostram sententiam itidem confirmat, phrasis, *super pulverem stabit*: elicimus hinc, ubi sermo est, de resurrectione à mortuis, ibi non est sermo de restitutione bonorum in hac vitâ, at in hoc loco sermo est de resurrectione à mortuis, Ergo non sermo est de restitutione bonorum in hac vitâ. Jobus enim exinde spem fidemque suam aluit, quodposito Antecedente, nempe Christi resurrectione, ultro sequatur consequens, & sui corporis Resurrectio. *Quintam rationem* petimus ex verbis, *postquam corroserint carnem meam*, hic clarissimè conspicitur, quod Jobus non loquatur de restitutione bonorum in hac vita, quoniam rei post mortem futuræ mentionem facit, dicit enim vermes esse corrosuros carnem suam, mortem ergo & quænimodam destructionem hujus carnis innuit. *Sextum fundamentum* adducimus ex phrasi, *de carne meâ videbo Deum*, quod si enim Jobus ex carne, post corruptionem sibi restitutâ, videre debet Deum, certissimè illud in statu, post hanc vitam futuro fiet, visio enim talis corporalis nulli contingit in hac vita, sed demum post resurrectionem. Supersedeo allegare testimonium LXX. Interpretum, testimonia itidem Patrum, qui serè omnes pro nobis faciunt. Respondemus potius ad Objectiones Adversariorum: adducunt locum Jobi XLII. 12. Deus benedixit Jobo, in novissimis magis, quam in initio ejus, hinc inferunt, nostrum locum de felicitate temporali debere intelligi: sed nulla argumento huic consequentia inest, non enim sequitur, ultimo vitæ tempore Jobus Deo benedixit, E. hic locus noster cap. XIX. contentus non loquitur de Resurrectione mortuorum. Porro in contrarium argumentantur à majori ad minus, ratione nimirum desumptâ ab incitiâ Apostolorum & discipulorum Christi, quod si enim illi Resurrectionem Christi non crederent, qui tamen quotidie à Christo informabantur, multo

multo minus Jobus & alii Sancti in V. T. eandem crediderunt; sed straminea & ficulnea est consequentia, Christi enim discipuli opinione Regni mundani erant occupati & corrupti, quis vero hoc de Jobo & reliquis V. T. fidelibus vellet afferere, si legeret modo Cap. LIII. Esaia. Imo inconveniens est, exinde, quod discipuli ad tempus in hoc errore haeserunt, concludere velle, Jobum aliosque Sanctos Viros in V. Testamento eundem errorem commisisse.

QVÆSTIO II.

Quæritur in hac, quis per Goëlem à Jobo intelligatur? Adversarii reponunt, per Goëlem Jobi intelligi Assertorem & Liberatorem, sive sit Deus Pater, sive homo quispiam vulgaris, qui de causâ illius non inique sed benignè judicet. Nos autem per Goëlem indigitari credimus promissum Mundi Messiam, atque istud exinde probari posse existimamus: quia Nomen Redemptoris soli Christo strictè ac proprie competit, isque in Scriptura Sacra communiter illo designatur, uti constat ex Gen. XLVIII. 16. ubi extat, *Angelus* *יְהוָה יִצְחָק אֱלֹהֵינוּ*, qui redemit me ab omni malo, id quod nonnisi de Filio Dei, Angelo increato potest intelligi. Esai. LIX. 20. iterum extat, & veniet ad Zion Redemptor, hoc est Christus. Et Esai LXIII. 9. Ecclesia V. Test. Christum ut *Redemptorem* agnovit & celebravit; in angustiis ergo verfatus Hiob, ad nullum Redemptorem alium confugit quam ad Christum promissum Mundi Messiam, in quem alii quoque fideles in Vet. Testamento suam fiduciam collocarunt. Accedit porro suffragium universæ S. Scripturæ, quæ nonnisi Christo opus Redemptionis attribuit, suo enim nos sanguine redemit, & Deo Patri pro nobis satisfecit, 1. Pet. I. 18. & 19. E. solus noster Redemptor est Christus. Tandem phras *super pulverem stabit*, indigitat vitam & Resurrectionem corporalem, jam autem tantum Filio incarnato, non autem DEO Patri proprie loquendo, competit hæc phras, E. tantum Filius incarnatus per Redemptorem intelligendus venit. Ponderabimus nunc quoque rationes Adversariorum, isti autem, qui Deo Patri, nomen Redemptoris tribuunt, sese dictis tuentur ex 2. Sam. VII. 23. & Esai LX, 16.

LX, 16. desumptis, ubi Patrem Redemptorem vocari contendunt: sed nullam inesse consequentiam respondemus, Patet dicitur alicubi Redemptor, Ergo & hoc in loco, Moses etenim quoque Redemptor vocatur Actor. VII. 35. Ergo & hoc in loco de Mose sermo est? *Secundo* reponimus, licet quidem Redemptio, tanquam opus ad extra, omnibus tribus personis tribuatur, certum tamen est, quod illud speciali ratione Christo competat, qui etiam propterea speciali ratione in allegatis dictis intelligendus est, quæ, sane, pro nobis faciunt, & strictè de Filio Dei exponuntur, cum Redemptio &eductio, de qua ibi sermo est, Angelo Domini, qui de medio rubi ardentis Mosen vocavit, Exod. III, 4. haud obscure adscribatur, & Angelus increatus intelligatur, qui est Christus, I. Cor. X. 4. Locus porro adductus Esajanus cap. LX. de Resurrectione & salvatione agit, quæ propriè Christo competit, utpote qui vi meriti sui cujusvis liberationis basis est ac fundamentum. Qui denique urgent, quod per Redemptorem intelligatur vulgaris aliquis homo, illi vim vocis מֹשֶׁה nimis extenuant, atque Spiritui S. in S. Literis loquenti, ut & menti Jobi contrariantur, quippe qui de tali מֹשֶׁה Redemptore loquitur, quem postea מֹשֶׁה Deum vocat.

Q V Æ S T I O III.

In hac nobis proponitur, *num visio Dei beatifica futura sit oculis corporeis?* Quidam hanc Questionem simpliciter negant, dicentes: Implicare contradictionem, Deum videri oculo corporeo. Quidam autem nihil hic determinare volunt, Questionis hujus decisionem futuræ experientia debere reservari, contententes, voluntatemque Dei, quoad futuræ visionis modum, non satis in S. Literis esse expressam. Quidam denique Questionem affirmant, statuentes, non deesse probabilia S. Scripturæ testimonia, quibus ostendi possit: beatos in vitâ futurâ Deum, quoad essentiam suam, oculis corporis visuros esse: cui sententiæ nos adstipulamur, secuti ipsum Jobum, qui satis animosè dicit: *ex carne meâ videbo Deum.* item, *oculi mei conspecturi sunt Deum.* Confitetur itaque sanctissimus Vir, *se visurum esse Christum oculis corporis, & quidem non tantum, ut hominem, sed etiam*

ut אלה, Deum, oculis inquam corporis, non enim opus est, ut à proprietate vocis discedamus, & oculos mentis tropicos intelligamus, quemadmodum verba DN. D. Schmidii sonant, Comment. h.l. fol. 814. Et quid vetat, quo minus beatos, oculis corporeis etiam, ipsam essentiam Dei visuros dicamus? cum nihil absurdi hinc consequatur, nam si intellectus creatus & finitus ita potest evehi, ut infinitam Dei essentiam intelligat, licet non comprehensive, quidni & oculi beatorum, ut Deum infinitum videant, elevari divinâ omnipotentia possint? *Quid enim impedit, oculo spiritali qualitate dotato Spiritum videre?* Quarit bene B. Dannhæwerus Hodof. fol. 1490. qui tamen id, ut neque temere negandum, ita nec liquido asserendum esse existimat. Porro corpora nostra erunt πνευματικά, & spiritalibus qualitatibus prædita, 1. Cor. XV. 44. ita ergo & oculi πνευματικοί. Et quemadmodum Angeli semper vident faciem Patris celestis, juxta dictum Christi. Matth. XVIII. 10. sic & nostri oculi visuri sunt Deum, præsertim cum dicamur futuri ἰδούσες, Luc. XX. 36. Et nonne Deus incorporeus, qui videt res corporeas oculis spiritalibus, nonne inquam efficere potest, ut res corporea videat Spiritum oculis glorificatis & spiritalibus? Tandem cum beatitudo nostra in intuitione Dei consistat, quis oculos & corpora nostra à beatitudine hac excludat? num animæ tantum beatæ erunt? ad quid ergo corpora refuscitantur? conferatur cum sententia nostra locus Matth. V. 8. ubi clare dicitur: *beati mundi corde, quoniam videbunt Deum.* & Joh. III. 2. *Deum videbimus, sicuti est, & quidem à facie ad faciem,* 1. Cor. XIII. 12. visio autem à facie ad faciem, de subjecto oculato prædicata, visionem ocularem denotat: Videre autem Deum à facie ad faciem, & sicuti est, idem est, ac, videre Deum in sua essentia. Frustra itaque objicitur, oculum animale non posse videre Deum, nullumque Spiritum cadere sub sensum corporis, nec consequenter sub visum; distinguendum enim est, inter oculum animale & spiritalium, non sequitur ergo, objectum oculi animalis & naturalis non est Spiritus, ergo nec oculi elevati per glorificationem, imo vero oculus hoc ipso spiri-

spiritualis erit, quia potentia ejus etiam Spiritum attingere poterit. Nec porro sequitur, Deum propterea oculis corporeis non videri, quia non est coloratus, distinguendum enim iterum erit, inter potentiam videndi naturalem & elevatam, Electi enim quando Deum in vitâ aternâ erunt aspecturi, non habebunt hoc ex se, & ex proprietate naturæ suæ, sed ex dono glorificationis, cujus beneficio illorum oculi apti constituentur objecto videndo. Nec tandem, illorum argumentum admittitur, qui sic colligunt: Deus est infinitus, finitum autem non est capax infiniti, & sic Deus infinitus à finito oculo videri non potest: Respondemus enim, finitum non esse capax infiniti, capacitate naturali, locali, inclusivâ, non autem cognitione & visione spirituali & elevatâ, modoque supernaturali. Concludimus ergo, quemadmodum intellectus creatus & finitus, potest supernaturali lumine gloriæ ita evehi, ut increatam & infinitam Dei essentiam videat, ita quoque oculus finitus, glorificatus tamen, per lumen gloriæ ita evehi potest, ut Deum incorporeum videat.

## PORISMATA.

I. Articulus de Resurrectione Mortuorum contentus in tertio Articulo Symboli Apostolici, non est novus Articulus, sed jam à Piis & Fidelibus Vet. Testamenti creditus, huc enim collimant verba Jobi, *Novi Redemptorem, qui me à terrâ excitaturus est.* Patet hinc unitas, & consensus fidelium utriusque Testamenti, quapropter Ecclesia quoque ob ejusdem fidei confessionem, consensumque mutuum, vocatur una in Symbolo Apostolico.

II. Plus quam nuda Articulorum fidei notitia requiritur ad fidem salvificam, nempe fiducialis quoque apprehensio Christi Redemptoris, ejus meriti, & beneficiorum; hoc enim confirmant specialis applicationis particula, *Novi Redemptorem MEUM: in carne MEA videbo Deum: oculi MEI conspiciuntur illum: Quæ* particularis applicatio veteris *πληροφορίας* nota est.

III. Vera

III. Vera fides non est assensus cum animi incertitudine & hæsitatione conjunctus, quo, nempe, homines de gratia Dei & peccatorum remissione ambigunt: imo hæc hæsitatio cum verâ fide pugnat, cujus officium est, confidere Deo, Ejusque promissioni, etiam in gravissimis afflictionibus, credere vitam in morte, credere cælum in inferno, credere Deum Redemptorem sub ipsâ castigatione: Jobo enim in statu tentationis videbatur vita & gratia omnis erepta; attamen plenâ fiducia dicit: *Scio Redemptorem meum vivere*, etiam si videatur silere & irasci, scio, sentioque sub ipsius irâ ingentem favorem.

IV. Resurrectio gloriosa Christi maximum offert fidelibus solatium, ut enim Adamus sibi & posteris amisit vitam, sic Christus à morte resuscitatus, hominibus vitam & gloriam restituit, & qui Caput nostrum, Jesum Christum vivificavit, membra Ejus, fideles scilicet, in morte non derelinquet. Rom. VIII. 11. Idcirco Job hunc Articulum in summis tribulationibus Anchoræ instar apprehendit.

V. Cum corruptibile hoc oportet induere incorruptibile I. Cor. XV. §3. non minus solatium est, quod eadem nostra caro, quæ in mundo omnibus morborum generibus fuit exposita, sit resurrectura ab omnibus imperfectionibus immunis.

Sed ne videamur Disputationis limites transgredi, hic subsistimus, atque ad Eum nos convertimus, cum quò incepimus, gratias nimirum agentes D. T. O. M. pro clementissimâ Assistentiâ, is porro studia nostra fovere pergat, quo cedant in Sui Nominis gloriam, Proximique ædificationem.

Tu autem *Benevole Lector*, vale, & qualemcunque hunc laborem serenâ atque porrectâ fronte accipe.

F I N I S.

M. 90.







94 A 7356

ULB Halle

3

001 343 661



sb.

V. 17

Jul. 90.







Q. D. B. V. 26  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
RESURRECTIONE  
MORTUORUM,

*Ad locum Jobi XIX. vers. 25. 26. 27.*

Quam  
Adjutore DEO Ter Optimo Maximo

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Maxime Reverendi, Amplissimi  
atq. Excellentissimi DOMINI*

**BERNHARDI WAGNERI,**

SS. Theol. D. & P.P. Ordin. & Senioris Celeberrimi,  
Convent. Eccles. PRÆSIDIS Magnifici, Cap. Thom.  
Canonici Meritissimi,

*DN. Patroni, Fautoris, atque Præceptoris sui  
omni observantia, pietatis, & amoris cultu  
semper prosequendi.*

In Inclyta Argentinensium Academia  
SOLENNI Eruditorum Examine exponit

**JOHANNES BÜTTNER, Argent.**

AUCTOR & RESPONDENS.

*Ad diem 26. Mensis Julij Anno M DCC XIII.  
horis locoque solitis.*

ARGENTORATI,  
Literis JOHANNIS PASTORII.